

De Centro Lunæ medio. Propositio v.

Centrum Lunæ medium pro quocunq; tempore inuenire. Inquirantur motus Solis & Lunæ mediꝝ ad tempus considerationis tuæ, per primam, quo factò auferatur medius motus Solis de medio motu Lunæ reuocando integram circulationem, si alias subtractio fieri non possit, & quicquid residuabitur, dupliciter, sic enim centrum Lunæ prodibit, quod alio nomine distantia duplex, seu duplex interstitium uocatur. Distantia namq; ab auge sua semper est duplex, respectu elongationis eius à Sole, & ideo in inquisitione centri Lunæ medius motus Solis de æquali motu Lunæ subtrahitur, & relictum duplicari præcipitur. *Exempli causa,* motus Lunæ medius ad supra dictū tempus est 11 signa, 27 gra. 7 mi. 34 secund. *Exempli* de quo si motus Solis medius ad idem tempus repertus fuerit sublatus, remanebit 11 signa, 4 gra. 39 mi. 44 secund. luminariū distantiam representans, qua duplata cētrū Lunæ, scilicet 10 sig. 9 gra. 18. mi. 28 secu. concrefcit. *96.*
29
58.

De medio centro quinq; Planetarum. Propo. vi.

Centra media 5. planetarum pro assignato tempore constituere. Inuenias medium motum planetæ tui per primam ad terminum propositum, & auge[m] eius per 2. quam de medio motu planetæ tui abstrahe, & remanebit medium centrum. Quod in Venere cum argumēto Solis concordare oportet, propter mediam conjunctionem, eorum perpetuā atq; unam & eandem utriusq; auge[m]. Sed exemplo præsentē plus forsitan certificeris Iouis medius motus ad sæpe dictum tempus est 1 signa, 12 gra. 5 mi. 29 secund. Aux autem ipsius ad idem tempus 5 signa, 23 gra. 23 mi. 32 secund. qua semota de motu æquali remanebit 7 signa, 18 gra. 41 mi. 37 secund. qua semota de motu æquali remanebit 7 sig. 18 gra. 41 mi. 57 secund. centrum Iouis ad tempus propositum. *Exempli*

Augem tu subtrahe à medio motu planetæ,
Vt habeas centrum, in Sole sit argumentum.

De tabularum æquationum expositione. Propo. vii.

Ex tabulis æquationum, cognita earum dispositione nec non generali forma intrandi earundem æquationes, hoc est centralia puncta pro ueris motibus eliciendis extrahere. Dispositionem itaq; tabularum æquationum lineis numeri, signis communibus gradibusq; centrorum, & argumentorum inferuentibus primo numerorum ordine positis similes esse fere in singulis cernimus. Signa autem partim in fronte partim etiam in calce tabularum posita inueniuntur. Gradus uero eorundem in lineis numeri descendendo ascendendoq; augentur. In cæteris uero ordinibus numerorum, ut uideri potest in titulis iuxta exigentiam dissimilis earum reperitur

Nota similitudo graduum